



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Omnia Latina Scripta Matthiæ Flacij Illyrici

Flacius, Matthias

Magdeburgæ

VD16 F 1296

Prima Pars, In Qva Agitvr De Veris Adiaphoris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36647

nullo modo pro pijs adiaphoris habenda esse, nec pie accipi posse. In postrema pauca quædam argumenta adiaphoristarum dissoluam, nam alia pluraq; in secunda parte confutabuntur.

Progrediar autem in hac tota scriptione methodice secundum quæstiones, quæ in simplicibus (ut uocant) thematibus explicandis tractantur. Cû igitur hunc laborem studio iuuandi Ecclesiam, quod Deus nouit, susceperim, peto ab omnibus pijs, ut nostrum qualemcunq; conatum boni cõsulant, donec aliquis alius tum donis, tum auctoritate ampliori instructus, aliquid eruditius, Ecclesiæq; utilius in hoc genere elaborauerit. Sed ad rem.

PRIMA PARS, IN QVA
AGITVR DE VERIS
Adiaphoris.

Quid significat uox Adiaphoron?

Vox



net) ne
non ser
ri seru

Su

ES
ri
al
aphori
to, & r
libem a
ci cibus
dies, au
cipere f
non ac
plis do

S Vn
Sra t



VOX ἀδιάφορον, latine indif-
ferens, germanice mittel/
ding / significat talē quam-
piam rem, quā (quod qui-
dem ad eius naturam atti-
net) non multum referat seruari, aut
non seruari, hoc uel illo modo tracta-
ri seruari & agi.

Sunt ne in Ecclesia aliqua Adiaphora?

Essetalia aliqua in Ecclesia, eiusque
ritibus, facile probari potest cum
aliunde, tum ex Paulo, qui de Adi-
aphoris quibusdam agit 1. Cor. 7. 8. 9.
10. & 14. Item Rom. 14. ut uiuere cœ-
libem aut coniugem, modo caste, ues-
ci cibus, aut abstinere, non obseruare
dies, aut obseruare sine superstitione, ac-
cipere stipendium ab auditoribus aut
non accipere. Certa ratione in tem-
plis docere, audire ac Psallere.

Quid sunt Ecclesiastica Adiaphora?

Sunt autem Ecclesiastica Adiapho-
ra tum ritus & actiones quædam,
tum

tum rituum circumstantiæ in templis
& religione, a Deo in specie nec man-
data nec prohibita, quibus libere uti-
tur Ecclesia, sine opinione cultus aut
aliqua superstitione, ad hoc, ut secun-
dum Pauli præceptum omnia ordine,
decenter, & ad ædificationem in cœ-
tu Dei fiant. Quidam enim sacri-
tus Ecclesiæ sunt diuinitus, idq; in spe-
cie mandati, ut prædicatio uerbi, bap-
tismus, cœna Domini & Absolutio,
Quidam uero ritus & quædam rituum
circumstantiæ non sunt diuinitus in spe-
cie mandati, ut quo genere uestis indutus
sacerdos peragat publicos ritus, quo lo-
co, tempore. Item genus cantilenarum

Quæ sunt species Adia- phorum?

Talia Adiaphora ad religionem per-
tinentia, alia sunt publica alia pri-
uata. Publica sunt, quæ publice in
publico cœtu piorum peraguntur, ut
sunt in templis cantilenæ, musica, lecti-
ones, personæ, loca, tempora, persona-
rum uestes, campanarum pulsus.

Priuata Adiaphora sunt, quæ per-
sonæ

sonæ fir-
certa ter-
tempus
am cib-
te, quat-
alicius
Por-
ra nom-
rentur.
Ecclesia
extra ca-
sunt am-
lia, in
suam re-
aphoris
modo a
illis alijs
pie con-
seruiun-
ædifica-
commu-
fiastica
uia, qu-
onem r-
li casur-
rum o-
Sabbat

sonæ singulæ seruant, ut sunt, ieiunia,
certa tempora orationis, abstinere ad
tempus ab uxore, & delicatioribus eti-
am cibis, aut ciborum quantita-
te, quatenus id fit orationis gratia &
alicuius pij exercitij.

Possunt & alia quædam Adiapho-
ra nominari, quæ politica recte uoca-
rentur. Ea, cum non sint ædificationis
Ecclesiæ gratia instituta, penitus nobis
extra casum scandali libera sunt, qualia
sunt amictus, cibus, habitatio & simi-
lia, in quibus tamen monachi totam
suam religionem collocant. In istis adi-
aphoris licet nobis agere, ut uolumus,
modo absit petulantia & scandalū, in
illis alijs non itidem. Ea enim, cū semel
pie constituta sunt & rectæ ædificationi
seruiunt, non licet temere in alia minus
ædificantia etiam extra casum scandali
commutare. Sunt tamen & inter Eccle-
siastica adiaphora quædam ualde le-
uia, quæ, cum non sint ad ædificati-
onem necessaria, possunt extra scanda-
li casum uariari, talis est dierum festo-
rum obseruatio, poterat enim olim
Sabbatum ex die saturni in diem lunæ

X 3 uel

uel aliam perinde transferri, ut in diem
solis, Item dies Paschatis uel eadem die
cum Iudæis, uel alia celebrari, item de
fermentato uel azimo communicare,
quare non recte fecerunt Ecclesiæ, quod
de tam leuibus Adiaphoris extra casum
scandali & confessionis contenderunt,
Tale paruum Adiaphoron posset dici
iam leuis dissimilitudo cæremoniarij
& aliquarum ministerij circumstanti-
arum in Ecclesijs bene institutis, pro-
pter quam paruam dissimilitudinem
paruaq; Adiaphora nullo modo se mu-
tuo Ecclesiæ reprehendere debent, uel
etiam ab impijs reprehendi possunt,
semper enim talis dissimilitudo in Ec-
clesia fuit, & adhuc hodierna die in
papatu est.

Hæc Adiaphora in genere quidem
a Deo mandata & instituta sunt. Vult
enim Deus omnia ordine, & ut ædifi-
cationi piorum, ac gloriæ ipsius quam
maxime aptum est, fieri: Caterû in spe-
cie ista instituere & circumscribere ius
est penes totâ Ecclesiam. Omnia enim
sunt Ecclesiæ 1. Cor. 3. Mandare autem
Ecclesia sua libera, spontanea & pia uo-
luntate

luntate
moniar
quos ui
illūinat
Et ipsâ
monijs i
doctrin
nitar, se
a ferme
uobis a
Oues m
est ulli
tales cæ
sæ con
luntate
Ecclesiæ
res quo
sæ test
Item, u
sit, non
fieri.
tæ & A
cum p
ne con
iussi in
Pe
ij, siue E

luntate talem adiaphororum & cære-
moniarum institutionem debet ijs,
quos uidet diuinitus donis ornatos &
illuminatos esse, ac talia diiudicare posse.
Et ipsam tamen Ecclesiam de illis ipsis care-
monijs iudicare oportet, sicut & de tota
doctrina, quæ ei a Doctoribus propo-
nitur, scriptum est enim, **Cauete uobis**
a fermento Phariseorum. Item **Cauete**
uobis a Pseudoprophetis &c. Item,
Oues meæ uocem meam audiunt. Non
est ullius unius hominis uel paucorum
tales cæremonias instituere sine Eccle-
siæ consensu, multo minus contra uo-
luntatem Ecclesie. **Omnia enim sunt**
Ecclesie, ut superius dictum est: **Docto-**
res quoq; nō domini, sed ministri Eccle-
sie (teste Paulo) ei a Christo donati sūt.
Item, ut libertas Ecclesie magis testata
sit, non oportet eam seruam hominum
fieri. Excipi tamen possunt Prophe-
tæ & Apostoli, qui, si quæ suo arbitrio,
cum primum ordinant Ecclesias, si-
ne consensu Ecclesie, diuino mandato
iussi instituunt, cōtradici eis nō potest.
Peccant igitur grauissime omnes
ij, siue Episcopi sunt, siue alij homines, q

sine consensu Ecclesiæ, uel etiam contra consensum, Tyrannica quadam licentia, aliquid in Ecclesia Christi instituire audent, etiamsi non sit impium.

Obseruandum igitur est, tres esse causas efficientes Adiaphororum. Primum est generale Dei mandatum, qui uult omnia in Ecclesia decenter, ordine, & ad ædificationem fieri, quiq; ordinis & non confusionis Deus est. Secunda causa est libera & pia uoluntas Ecclesiæ. Libera, ut plane non sit ab ullo coacta. Pia, id est, ad uoluntatem Dei accommodata, quæ tantum gloriam Dei, & piorum ædificationem spectet, non ulla humana commoda per talia Adiaphora uenetur. Tertia causa sunt pij & intelligentes homines, quibus Ecclesia talem Adiaphororum institutionem mandat.

Atq; hæc de causis efficientibus. De causa autem materiali Adiaphororum nihil est necesse dicere. Sunt enim cæremoniæ seu ritus & rituum circumstantiæ. Causa formalis in finali magna ex parte pertractabitur.

Qui

Qui effectus seu finales causæ
Adiaphororum ?

Porro finalis causa talium cæremoni-
arum debet esse ea, quam Paulus
1. Cor. 14. præscribit, ut omnia de-
center, ordine, & ad ædificationem fi-
ant. Quæcunq; ordine fiunt, ea etiam
decenter fiunt, & quæ ordine ac decen-
ter fiunt, ea etiam ad ædificationem
spectant, ita ut sub ædificationis no-
mine tota finalis cæremoniarum causa
contineri uideatur, dicemus tamen de
singulis separatim ac primum de or-
dine.

ORDINE fiunt res, cum suæ quæ-
q; loco & tempore totius actionis par-
tes collocantur. Ordinis ratio in Ec-
clesia haberi potest in personis, tempo-
ribus, actionibus & alijs circumstantijs.
In personis, ut alios esse Doctores, alios
auditores, item alios Ecclesiæ mini-
stros alijs secundum ætatem, eruditio-
nem & alia aliqua dona esse superiores,
quod ad Ecclesiasticam politiam atti-
net (& nō q; ad ius clauū, sicut Papistæ
maius remittendi peccata ius Papæ, q;

X S

alijs

Qui

alijs Sacerdotibus tribuunt) ut etiam
Paulus superiores facit Episcopos dia-
conis. Item inferiores ministros per
certos quosdam gradus subinde ad gra-
uiiores & ampliores functiones & ali-
qua maiora commoda promoueri.
Cuius rei Paulus facit mentionem, cum
inquit, bonum sibi gradum acquirunt,
Ne, sicut ille dixerat, prius ad clauum
fedeant, quam remigauerint. Ex hac
occasione Papistici septem ordines tan-
dem in mœram superstitionem de-
generarunt.

Ordo in tempore est, ut primum
quod attinet ad totum annum, utile
est tum memoriæ rerum gestarum gra-
tia, tum ut pro ratione temporis & fru-
gum de Dei beneficijs homines admo-
neantur, alijs temporibus alias lectiones
ex sacris literis Ecclesiæ proponi. Item
quædam anni tempora frequentiorib9
concionibus ornari, atq; ideo ab alijs
operibus auditores uacare, ut circa nati-
uitatem & passionem Domini.

Secundo, quod attinet ad hebdo-
madam, ut alijs diebus habeantur ue-
luti celebriores quædam conciones, me-
lioresq;

liores
minic
tota D
diebus
tum e
T
meridi
tractat
næ, ex
pertin
care ho
tudine
Quare
horis r
In
ut pri
deinde
postea
est, fia
nes, it
tis pra
subseq
tio ph
Credo
literis.
& Pos
& cõn

lioresq; Doctores doceant, ut die Do-
minica, quæ ideo sic appellatur, quod
tota Domino dicata fuit. Item & alijs
diebus, quibus uulgus minus impedi-
tum est.

Tertio, quod attinet ad diem, ante
meridianæ horæ potius tribuendæ sūt
tractationi uerbi diuini quam uesperti-
næ, excepto die Sabbati, ubi sub ues-
pertinum tempus magis uidentur ua-
care homines, & alioqui ueteri consue-
tudine illud tempus festo adiūctū fuit.
Quare uidendum etiam, ut melioribus
horis meliores Doctores doceant.

In actione ordo recte adhibetur,
ut primum signum campana detur,
deinde canantur aliqua piæ cantilenæ,
postea, cum iam populus frequentior
est, fiant noto sermone aliqua oratio-
nes, ita ut populus suis ardentibus uo-
tis præcinentis concionatoris uocem
subsequatur, ac fide dicat, Amen. Ter-
tio p̄fiteatur popul⁹ suā fidem canēdo
Credo. Quarto legatur aliquid ex sacris
litteris, q̄ statim in concione explicetur
& Postremo post cōcionē piæ cātilenæ
& cōmunio fiat, cū adsūt, qui cōmmu-
nicare

nicare

nicare uolunt. Et post communionem gratiarum actio, & populi benedictio. Hic actionis ordo suis rationibus probari potest.

Videndum autem est, ne plures actiones in coetu Dei simul fiant, quae se mutuo impediunt, ut apud Corinthios factum est, cum plures simul ad populum loquuti sunt. Item cum diuersi coenam Domini sumpserunt, alijs quidem ebrijs, alijs uero adhuc esurientibus. Item ut iam alicubi plures simul cantilenae canuntur. In papatu fuit talis *ἀνομασία* ualde frequens. Simul enim plures, easque diuersissimas missas & officia in eodem templo cecinerunt. Haecenus de ordine, iam de decencia.

DECENTER tunc aliqua fiunt in Ecclesia, quando cum grauitate & dignitate quadam mixta cum pietate omnia peraguntur. Ut, decet potius uiros in Ecclesia loqui, & omnes functiones obire, quam foeminas, sicut & Paulus praescribit. Item seniores potius quam iuniores, de die potius quam noctu, & mane potius quam uesperis, ob quam causam Ecclesia coenam **DOMINI** in
ante-

ionem
dictio,
us pro,
andio
plures
, qua
Corin
nul ad
m di
t, alijs
rienti
simul
uit ta
Simul
missas
erunt,
ntia.
unt in
e dig
e om
uitros
ntio
Pau
us qua
ta, &
quam
ini in
ante

antemeridianum tempus transtulit. Et
in publico loco potius quam in secre-
to. Musica graui, simplici, non lasciu-
ua, & tam mire uaria, ut iam fit.

Sint & uestes cum alibi, tum impri-
mis in templo, cum aliorum, tum præ-
cipue ministrorum tales, quæ apud eã
gentem, ubi est Ecclesia, maxime de-
coræ seu honestæ iudicantur. Quare
si quis olim Ethnicorum sacrorum, &
iam Papisticorum uestes in Ecclesias,
ubi illarum uestium usus semel aboli-
tus est, reuocare uellet, is contra deco-
rum faceret. Videreturq; actionem
alicuius fabulæ potius instituere, & spe-
ciosa spectacula exhibere uelle, quam
ueneranda tremèdi Dei misteria tracta-
re. Campanarum pulsus sit potius bre-
uis & simplex, quam prolixus, & mul-
tiplex. Nec sane nimium illa tam mul-
tiplex organorum melodia Ecclesiasti-
cam grauitatem decet.

Templum quoq; sit decens,
quod non esse impeditum & occupa-
tum altaribus, imaginibus & alijs nu-
gis, quo minus doctoris uox ad om-
nes penetrare, ipseq; doctor ab om-
nibus

nibus (quod etiam aliquatenus institutio postulat) cerni possit, non tam decentia, quam extrema necessitas instructionis flagitant.

Imagines in Templis (cum Idolatriæ occasio non sunt) fortassis ferendæ sunt, quod nonnihil tum ornant templum, tum etiam docent ac monent imperitiores. Verum modus in ea re adhibendus esset, satius enim esset uiua Dei Tempia ornare illis sumptibus, quam lapidea. Esset etiam in picturis grauitas & frugalitas adhibenda: Sæpe ita exquisita forma & ornatu pingunt sanctos ac sanctas, ut si amatores & scorta pingerent nimirum esset, ut Albertus Archiepiscopus Moguntinus curauit aliquando in Templo quodam scortum suum depingi pro diua uirgine. Multipliciter obest ea indecentia, inuitat multos ad imitationem luxus, adhæc cum concio audienda est, uerbumq; Dei meditandum, tales lasciuæ picturæ facile auditorum animos alio auocant, eisq; sæpe parum piarum cogitationū occasionem præbent.

Est

Est etiam uehementer indeco-
rum in Templo pingi personas ad-
huc uiuentes, nullaq; præstantia cæte-
ris præcellentes, idq; tam conspicuas:
Adde & eorum insignia, & titulos ad-
scribi, qua ratione plane ex templo
Domini, domoq; orationis diuitum
& ambitiosorum hominum Theatrum
efficitur. Hæc multiplex pestis in Pa-
pistarum templis ualde regnauit, &
iam apud nos quoq; grassari incipit,
esset igitur graui piorum, eruditorumq;
hominum censura cohibenda.

Si igitur omnino uolunt in templis
picturas collocare, esset grauitas quæ-
dam adhibenda, ut dictum est, nimius
ille spendor & ornatus picturarum, im-
primisq; nimium elegantes formæ tol-
lerentur, personæ profanæ ualde exiles
pingerentur. Ante omnia autem uelim
lôgius a suggestu eas collocari, ac omni-
no ab *ijs* locis, ad quæ homines, cum sit
concio, maxime conuersi sunt, obiecta
enim, ut dicitur mouent sensus. Vi-
dendum igitur esset, ne, dum auditores
ex auditu prædicationis fidem hau-
ere deberent, per lucentia aliqua obie-

ta

ta mentes eorum ad alias cogitationes, easq; fortassis non satis pias abstraherentur, atq; ita tum infrugifera auditoribus concio fieret, tū etiam mentes eorum inhonestis cogitationibus contaminarentur. Rectius sane agerent diuites & potentes si templum bono doctore potius quam pulchra preciosaq; pictura exornarent.

Hæc de decoro etiam in hac parte dicere uolui, non quod negem picturas habere uel in templo uel extra templū Adiphoron esse, sed quod imaginum abusum, qui iam denuo crescere incipit graui reprehensione dignissimum esse iudico.

Sint & loca in templis aliquatenus mulierum & uirorum seiuncta. Item quandoquidem id iam consuetudine receptum est, ut potentiores habeant loca honestiora & ædificio ab alijs seiuncta, uidendum esset, ne ea ipsorum licentia nimium cresceret, ac illi soli omnia in templis occuparent, extrusis ferme, uel certe longius amotis tenuioribus. Struunt enim illi sibi propemodum ueluti palatia quædam, in quibus
uel

uel sta
sint: q
est, sæp
nis tem
non ha
ste cor
Pertine
in temp
tius, qu
in loco
& cryp
scelerib
rum &
Co
pertine
sertim i
quæ ei
etiam, q
tum ha
tatem
Quare
quædar
tas speci
tem qu
diuersit
scandal
Est

uel stare, uel sedere, uel etiam iacere pos-
sint: quæ tamen ipsa loca, quod peius
est, sæpe uacua & conclusa sub concio-
nis tempus sunt, cum interea pauperes
non habeant locum, ubi uel stantes re-
cte concionatorem exaudire possint.
Pertinet etiam ad decorum, ut omnia
in templis in frequentia hominum po-
tius, quam solitudine peragantur. Item
in loco patulo potius, quam in angulis
& cryptis, sacrificulorum libidinibus &
sceleribus percommotis, more papista-
rum & gentilium.

Conformitas quoque ad Decorum
pertinere uidetur. Decet enim, ut, præ-
sertim in grauibus negotijs, cum res ali-
quæ eiusdem ueluti speciei sunt similia
etiam, quasi accidentia, ac ueluti uesti-
tum habeant: Et contra uarietas leui-
tatem quandam præ se ferre uidetur.
Quare & in ministerio conformitas
quædam requiritur: Ibi enim diuersi-
tas speciei externæ non tantum leuita-
tem quandam, sed & quasi religionis
diuersitatem præ se fert, atque ita etiam
scandalizare imperitiores uidetur.

Est autem conformitas quædam
Y simili-

similitudo inter se partium, aut etiam rerum prorsus disiunctarum: Quæ in Ecclesia consideranda est, in tribus collationibus. Primum enim conformitas aut in maioribus, aut in minoribus rebus requiritur, quæ in maioribus, id est in doctrina, Sacramentisq;, ea plane est necessaria, nec est ullo modo Adia phorõ. Si enim non esset una fides, unum baptismum, unus mediator apud omnes Ecclesias, necessario aliqui in errore essent. In minoribus, ut ceremonijs non perinde est necessaria, imo in minimis rituum circumstantijs etiã prorsus impossibilis. Sed tamen in mediocribus ceremonijs etiã uere Adia phoris aliquatenus cõformitas est sectanda, tum ob decorum, tum ob tollendum imbecillium scãdalum, tum etiam, quia haud dubie in omni re una est aliqua optima rei idæa, quanquã uerum est, quod, cum non omnes uel homines, uel loca, uel tempora optimam illam idæam recipiunt, tum aliqua minus absoluta eis potest esse aptior.

Secundo spectatur cõformitas in pluribus ueris Ecclesijs inter se collatis. Postremo & in eiusdẽ Ecclesiæ diuersis temporibus

poribus
aliqua
formit
eiusdẽ
Baptis
tamen
clesia s
impiet
cũ ritus
genera
causa, n

Ca
in diue
nibus p
alijs, du
sumpta
coro d
tius ag
in rebu
alijs fir
longe p
eademe
dam Ec
sent, su
in diuer
do iam
plures i
nimo

poribus & actionibus. Quanq̄ autem
aliquatenus & pluriū Ecclesiarū con-
formitas optāda est, quandoquidē ōnes
eiusdē Christi sunt, eandem fidē, idem
Baptisma, & eundē mediatorē habent,
tamen magis curandū id est, ut una Ec-
clesia sibi met cōstet, donec id fieri sine
impietate, & notabili dāno potest. Nā
cū ritus incipiunt in aliquos abusus de-
generare, omnino, exposita auditoribus
causa, mutandi sunt.

Causæ autem, cur una Ecclesia sibi
in diuersis temporibus, iteratisq̄ actio-
nibus potius conformis esse debet, q̄ cū
alijs, duæ sunt, quarum altera a decoro
sumpta, quia, ut Cicero de proprio do-
coro disputat, hoc singulis diligen-
tius agendum est, ut sibi met constent
in rebus, sane non uitiosis, quam ut
alijs similes sint. Altera est, quod
longe plures offenderentur, si in una,
eademq̄ Ecclesia, ueluti politia quæ-
dam Ecclesiastica, cui ipsi assuefacti es-
sent, subinde mutaretur, quam quod
in diuersis Ecclesijs aliqua dissimilitu-
do iam aliquamdiu durauit. Nam &
plures imbecilles eiusdem Ecclesiæ do-
mi ma

mi manent, quam peregre uagantur,
& uehementius suarum caeremoniarū
conseruationem, quam peregrinarum
importationem, flagitant. Magis igitur
hoc agendum est, ut singulae Ecclesiae
sibimet constent, conformesq; in bonis
ritibus sint, quam diuersae, idq; in rebus
etiam minoribus.

Obseruandum tamen ante omnia
in hac tota disputatione, primum non
esse necessariam rituum conformitatem,
deinde & nimis exactam esse impossi-
bilem. Gregorius Papa in registro
docet, neq; fuisse suo tempore in Eccle-
sia conformitatem, neq; necessariam esse,
sed id agendum esse, ut unaquaque
Ecclesia sibi deligat quam aptissimas
caeremonias. Quin & hodierna die in
papatu magna est difformitas, singuli
propemodum episcopatus, & singuli
monachorum ordines suas, diuersasq;
caeremonias habent, diuersas Missas, &
breuiaria, differt Brandenburgense bre-
uiarium a Magdeb: &c.

Deniq; omnia sint in templo ac mi-
nisterio seria, grauias, frugalia nihil ioco-
sum, petulans, leue aut ridiculum sit. Sed
omnia

omnia
profes
Angelo

coro, ia

AT

quae de

sunt. I

sterij oc

centia d

nia quo

moueri

Ad aco

nae cur

di pote

ca, sche

Oe

parente

tatem,

officia

stituun

Sch

primis

schola

q; porro

dis, tu &

tutes, u

solet. C

omnia sic fiant, tanquam a pio animo profecta, & in oculis Dei, & sanctorum Angelorum agantur. Hactenus de decoro, iam de ædificatione.

AD ædificationem porro hæc ipsa, quæ decet & ordine fiunt, referri possunt. Neque enim grauitas diuini ministerij ociosam quandam theatricamque decentiam & ordinem requirit, sed simul omnia quoque ad ædificationem, id est, promouendam ueram pietatem, uult spectare.

Ad ædificationem quoque spectat disciplinæ cura. Porro disciplina iam recte diuidi potest, in Oeconomica seu domestica, scholastica, Ecclesiastica, & politica.

Oeconomica seu domestica est, qua parentes liberos & reliquos familiam ad pietatem, bonos mores, & communia uitæ officia, domestica cura industriaque instituunt, & assuefaciunt.

Scholastica quoque institutio uel imprimis ad disciplinam pertinet. Nam in schola flos iuuentutis Ecclesiæ educatur, quæ porro coet, cum maturuit, cum alijs modis, tum & exemplo in alios uel uitia, uel uirtutes, uel pietatem uel impietatem spargere solet. Quare imprimis serua, cum aliqui

Y 3 omnis

omnis iuuetutis esse deberet, tū praeipu
e eius, quæ literis mancipatur: quē enim,
ut Horatius inquit, recēs testa odorē se
mel imbibit, eum diu seruat. Curandū
autem, ut non tantum in literis, sed &
in bonis moribus, ac ante omnia in ue
ra pietate recte in scholis iuuetus, infor
metur. Recte enim ille inquit, qui in li
teris proficit, & in moribus deficit, ille
plus deficit, quam proficit.

Ad hoc autem, ut iuuentus recte in
Schola instituatur, non solum bonus
ordo scholæ, seu leges, sed & personæ
idoneæ necessariae sunt, quæ magna cu
ra magistratum, & pastorum conqui
ri, retineriq; deberent. Ac si in ulla alia
re, tum in hac omnium minime, sum
ptibus parcendum esset.

Porro Ecclesiastica disciplina in
his comprehendi potest, iuuentutem
subinde de Catechismo examinare. Je
iunia aliqua, seu temperatiā præscribe
re. Certis diebus cogere adesse sacrae cō
cioni. Item, ultra certū tempus nō absti
nere a communione. Itē, excommuni
catione, alijsq; moderatis, & nō supersti
tiosis cēsuris cogere cum alios homines
ad ho

ad ho
primi
id seri
ritus a
Item
tum
magif
enda s
P
iam ni
quant
non ta
sed eti
periu
ptus r
acius
ges fur
par est
famili
cionat
imprim
Ecclesi
neru
munic
adiuu
Sed
poten

ad honestam & sobriam uitam, tū im-
primis Ecclesiæ ministros, & omnino
id serio agere, ne homines libertate spi-
ritus ad libertatem carnis abuterentur.
Item admonere tum patresfamilias,
tum & Ludimagistros, tum etiam
magistratus ipsos, unumquemq; de tu-
enda sua disciplina.

Postremo, magistratus disciplina
iam nimis angusta est, olim latius ali-
quanto patuit. Ea sic exercenda esset, ut
non tantum punirentur furta & cædes,
sed etiam libidines, item blasphemix,
periuria, luxus, epicureismus & contem-
ptus religionis, aliaq; uitia aliquanto
acrius castigarentur: Reuocare item le-
ges sumptuarias eos oporteret. Adhæc
par est, ut magistratus adiuuet tū patres
familias, tum ludimagistros, tū & con-
cionatores, in retinenda sua disciplina,
imprimis uero iuuet seruare pastores
Ecclesiasticam disciplinam, præcipueq;
neruum illum disciplinæ, nempe Excō-
municationem in pio usu, sicut olim
adiuuerunt in impio.

Sed multi hoc cōcedere nō uolūt, ne
potentia Euangelistarum sit eis nimis
grauis,

X 4

grauis,

gravis, ipsi enim uolūt Euāgelio domi-
nari, & non uolunt Euangelij iugum
pati. Atq; ita uere stulti homines, dum
uitia fugiunt, in contraria ruunt. Sicut
olim papisticis spiritualibus, non aliter
ac dijs quibusdam, se subiecerunt, eosq;
ferme adorarunt, ita iam se non satis li-
beros putant, nisi Euangelium & Euan-
gelistas pedibus conculcent, eisq;, ue-
luti mancipijs suis imperent. Sed ul-
ciscetur profecto adhuc Deus horribili-
ter hunc ministerij contemptum & pro-
restituta Christiana libertate ingratitu-
dinem.

Pertinet etiam ad ædificationem,
ut, ubi non sunt multi, qui latine intel-
ligunt, omnia potius uulgari, quam
latino sermone in templis peragantur.
Item, ut cantilenæ sic canantur, ut in-
telligi possint sententiæ, quo cor ipsum
efficacius pijs dictis, cum musica con-
iunctis, moueatur, & non tantum au-
res inani titillatione deliniantur, ut iam
nimium fit, præsertim apud papistas.

Sæpe autem accidit, ut ea quæ sua
natura uel licita sunt, uel etiam aliqua-
tenus pia, tamen ob circumstantias ali-
aliquas,

aliquas
tiam P
mihi li
omnia
ficant.
pium e
infirm
tur aliq
onem c
non su
utroq;
proxim

Hi
uatis A
asticis,
agédū
tatem
quos, d
ipforu
indulg
quærat
impios
Christi

Su
bent ef
uerbi D

aliquas fiant illicita, in quam sententiam Paulus 1. Cor. 10, inquit, Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt, omnia mihi licent, sed non omnia aedificant. Exemplo suo testari libertatem pium est, sed cum est occasio scandali infirmorum, fit impiū. Quatenus igitur aliqua uel destruunt, uel aedificationem quantumuis parum impediunt, non sunt adiaphora, sed diuinitus utroque praecepto de dilectione Dei & proximi prohibita.

Hinc fit, ut saepe, praesertim in priuatis Adiaphoris non tantum Ecclesiasticis, sed etiam politicis aliquid uel agendum uel omittendum sit, etiam contra libertatem Christianam ob imbecillos aliquos, de quibus spes est, quorum tamen ipsorum non carnalis commoditas tali indulgentia, sed spiritualis profectus quaeratur. Nam propter pertinaces impios nihil penitus contra libertatem Christianam faciendum est.

Summa, omnes caeremoniae sic debent esse ordinatae, ut praedicationem uerbi Dei in praecipuo scopo, nempe in

Y 5

excitan

excitanda in animis uera pietate, tanquam *ὑπεριτιμὰ* quædam iuuent, & nullo modo impediant.

Cauendum autem est, ne suos fines ista Adiaphora transeant, ac pro immediatis Dei cultibus habeantur. Nam in nullius hominis potestate est aliquos Dei cultus, sine mandato Dei institueri, quare talia Adiaphora fierent idolatriæ, ut in papatu abstinere a certis cibis certo tempore, cessare die Dominica, gestare cucullam. Item, ne extracausum scandali incipiant obligare conscientias, atque ita laqueos iniiciant conscientijs. Item, ne seruiant abusibus presentibus, aut breui secuturis. Item ne significant, nos approbare aliquos abusos, aut quoquo modo tandem ad destructionem, & labefactionem piarum mentium tendant. Omnia enim, quæ sunt Adiaphora, eatenus sunt Adiaphora, quatenus illis prioribus finibus seruiunt. Cum uero illos transgrediuntur, non sunt iam Adiaphora, sed impietates & abominationes omnibus modis fugiendæ.

Se

SEC
PI

HA
ro
fu

Ἰουδαϊσ

obtrud

præced

forman

Q

Christi

phora,

quia pe

a Deo p

postea

circum

De ca

un

ON

q

tamen

ter has

quia n